Quaestio medica Quodlibetariis Disput. discutienda In Scho. Medic.,

die Jovis 13a Januarii M. Joanne Pietre D. M. Moderatore.

An Viri Mulieribus salubrius degant?

Corpus omnium temperatissimum, reliquorum μέτρον homo (mundi Epitome) obtinuit, Ignis, aer, aqua, et terra constant, quae tota totis miscentur, Ipsis tamen in mixto potentia remanentibus. Quatuor elementis totidem humores analogi in venis continentur, ab uno eodemque hepatis calore facti, Sanguis scilicet calidus humidus, bilis calida sicca, humor melancholicus terrae respondens frigidus siccus, et pituita frigida humida, hi partes ex quibus genitae quandiu vita fruuntur alunt. Omni autem animantium generi calor a natura concessus est, cujus beneficio vivunt, quo etiam homo functiones obit animales, vitales, et naturales, quarum integritas sanitatem adesse significat, qua meliori et constantiori corpus illud fruitur, Cujus tum partes similares propriam temperiem adeptae sunt, tum quae ex iis partes instrumentariae constant (a quibus manant actiones) magnitudine, numero, situ, et formatione sunt inter se moderatissime constitutae.

De humano corpore qui loquitur tam foemineum, quam virile intelligat necesse est, neque enim alia maris, alia foeminae elementa statuuntur, Idcirco sexu, non specie, accidentibus quibusdam, non ~~[illegible]~~ essentialibus differentiis a se invicem distinguuntur, nec est cur quisquam foeminam contumeliosius compellat ἄῤῥεν πεπηρωμένον vocitando: nam cum mas in alio, foemina in se generet, et sit utriusque ad generationem congressus necessarius, non minor hujus, quam illius ad speciei propagationem necessitas conspicitur.

Viri sicuti animatum, et foeminis foecundius est, Ita mares ipso calidiore genitali dextras in utero partes occupant, et calidiores, ac in eo celerius perficiuntur, moventur, in lucem eduntur, editi facilius aluntur et dentiunt celerius, sed tardius pubescunt ac crescere desinunt, Laboribus magis quam mulieres assuescunt, Venere amplius excipiuntur hyeme quam aestate gratiores: Illae contra aestate, quam hyeme, gestantur in sinistris uteri partibus foeminae ~~[illegible]~~, Viris sunt obesiora, candidiora corpora, venas angustiores habent. Quae omnia calidiores et sicciores viros, frigidiores et humidiores foeminas esse testantur judicia.

Vir quamvis mulieri sit meliori temperamento praeditus, variis morbis obnoxius vivit, ex quibus multos ab inquinamentis uteri contrahit, ut variolas et morbillos: Viris tamen εὐεξία facit quo minus ab exterioribus corripiatur habetque ab actionum praestantia, ut vivacitate morborum causas facilius sustineat, iisque minus succumbat. Quod vero ab alimenti superfluis minus laedatur ex hoc intelligi potest, quod neque copiosi, neque vitiosi succi, atque redundent in ejus corpore: Si qua vero gignantur excrementa, faciliori ea negotio expellit, si autem aliquandiu intus retinentur, non tantam noxam inferunt.

Menses statis periodis et circuitibus redeuntes, nec celerius aut parcius quam par sit effluentes, maximum adversus morbos omnes praesidium foeminis genere a natura concessum est. At his cunctantibus multa incommoda, majori copia erumpentibus, plurima mala mulieres excipiunt. Vel dum prava qualitate acquisita corpus irrigant, non κακοχυμία modo, sed καχεξία inducitur, ἀνορεξία, μαλακία et foedi colores, qui pro humoris dominatu faciem deturpant. Ex eodem fonte δυσπνοία, παλμός, καρδιαλγία, pedum tumor κεφαλαλγία ἀλοφία, et alia ejusmodi symptomata scaturiunt. Jam concipientes uteri tot sunt molestiae, partum tot mala circumstant, ut non sine ratione quidam graviditatem morbum quendam naturalem vocitent. At vero virgines ob seminis corruptelam (quod viris raro contingit) tot symptomatis conflictantur, ut vix ullo praesidii genere sanari queant.

Ergo Viri Mulieribus salubrius degunt.

Propugnabat N. Girault, Lutetianus, anno domini 1611.

D. Doctores disputaturi.

M. Stephanus de la font.	M. Quirinus le Vignon.	M. Nicolaus Jabot.
M. Carolus Bouvard.	M. Dionisius Guerin.	M. Simon Pietre.
M. Claudius Charles Decanus Pr. Req.	M. Jacobus Laetus.	M. Georgius Cornuty.

BIBLIOTH.